

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
CALOMELE,
QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE
EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS
PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI
DECANI,
NEC NON
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
RITE OBTINENDA
IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA
UNIVERSITATE VINDOBONENSI
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

Antonius Hölzl,

Tyrolensis Brunopolitanus.

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus
die 9. Junii 1852.

VIENNAE,
TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

The first European settlement in North America was established by the English in 1607 at Jamestown, Virginia. This colony was founded by a group of men sent by the Virginia Company of London. The settlement was initially struggling due to lack of food and disease, but it eventually became a permanent colony. Other early settlements followed, including Plymouth in Massachusetts in 1620 and the Roanoke colony in North Carolina in 1585, which unfortunately failed.

The Pilgrims, a group of English Puritans, arrived in Plymouth in 1620. They were seeking religious freedom and a better life. The Pilgrims' story is a classic tale of survival and cooperation with the Native Americans. The settlement of the New England colonies was characterized by a strong sense of community and religious devotion. The Dutch also established settlements in the Hudson River valley, and the Spanish in the Southwest.

The early history of the United States is marked by exploration, settlement, and conflict. The Spanish explorer Christopher Columbus discovered the Americas in 1492, opening the way for European colonization. The French and British competed for territory in North America, leading to the Seven Years' War (1754-1763). The war resulted in British control over most of the eastern United States, but it also led to increased tensions between the colonies and the British government.

The American Revolution (1775-1783) was a pivotal event in the history of the United States. The colonies declared their independence from Britain in 1776 and fought a war to establish a new nation. The war ended with the signing of the Treaty of Paris in 1783, which recognized the United States as an independent country. The new nation was founded on the principles of liberty, democracy, and the rule of law. The Constitution of 1787 established the framework for the federal government, and the Bill of Rights (1791) guaranteed the rights of the citizens.

I.

Denominatio et indoles chemica.

§. 1.

Murias hydrargyri mitis. Pharmacop. Austriac. — Hydrargyrum muriaticum mite. Pharmacop. Porussic. — Hydrargyrum oxydulatum muriaticum. — Prochloridum hydrargyri. Hydrargyrum chlorinicum in minimo. — Calomel. — Mercurius dulcis. Panacea mercurialis. Manna metallorum. Aquila alba. Panchymagogum minerale. Draco mitigatus. — Salzsaures Quecksilberprotoxyd. — Mildes salzsaures Quecksilber. — Quecksilberprochlorid. — Einfaches Quecksilberchlorat. — Versüßtes Quecksilber. — Milder Sublimat. — Calomel. — Secundum chemicorum recentissimorum mentem Calomel ex hydrargyro et chloro compositus creditur, et quidem secundum *Davy* ex 85,6 partibus hydrargyri et 14,4 chlori. — Alii vero chimici mercurium dulcem pro sale habent, ex protoxydo hydrargyri et acido muriatico, composito, quo assumpto secundum *Chenevix* 100 ejusdem partes, 88,5 oxydi hydrargyri et 11,5 acidi muriatici partibus constituuntur.

II.

Parandi methodus et proprietates physiographicae.

§. 2.

In naturae regno Mercurius dulcis jam formatus non invenitur, ideoque semper arte sistendus est.

Theodor Mayerne inventor praestantissimi hujus praeparati esse dicitur. *Beguin* et *Kroll* anno 1609 accuratorem ejus parandi modum docuerunt. Ex isto autem tempore illa parandi methodus varias obtinuit modificationes, ex quibus etiam innumerae hujus praeparati denominationes derivantur. —

Pharmacopaea Austriaca ultimo edita sequentem praescribit praeparationis modum:

Rp. Muriatis hydrargyri corrosivi uncias quatuor
Hydrargyri purissimi uncias tres.

Terantur in mortorio vitreo aut porphyryno, donec hydrargyri globuli dispareant, totumque in pulverem cinereum mutetur, qui sublimetur in cucurbita vitrea, in balneo arenae. Ex frigefacto et fracto apparatu auferatur sublimatum et in pulverem tenuem tritum atque aqua destillata fervida perfecte edulcatum, servetur in loco obscuro. —

§. 3.

Sub hac operatione sequentia notanda veniunt:

1mo. Ne sub contritu substantiarum organa respiratoria gravius offendantur, illae prius pauxillo aquae vel alcoholis humectandae sunt.

2do. Massa bene contrita et leni calore siccata cucurbitae injiciatur.

3to. Cucurbita vitrea balneo arenae ita committatur, ut arena ab extus altiore teneat locum, quam massa in cucurbita.

4to. Incipiatur operatio calore lenissimo, qui paullatim intendatur, desumendo dein simul arenam eo usque, donec cum massa in cucurbita eandem occupet altitudinem.

5to. Sublimatione finita, massa ex frigefacto et fracto apparatu desumpta et ab adhaerentibus forsitan particulis vi-

treis uti et hydrargyri globulis liberata, conteratur, antea pauxillo alcoholis humectata, in mortorio vitreo pistillo vitreo, loco quodam obscuro, ne colorem induat cinereum.

6to. Pulvis inde obtentus aqua destillata fervida eo usque abluatur, donec in hac aquae calcis ope color flavescens non amplius appareat.

Processus chemicus, qui sub hac operatione obtinetur, sequens est: Dum hydrargyrum muriaticum corrosivum, id est, perchloridum hydrargyri, cum hydrargyro metallico sublimatur, oritur inde chloridum hydrargyri cum minori chlori ratione ac in mercurio sublimato corrosivo, id est oritur prochloridum hydrargyri, vel, secundum mentem aliorum, peroxydum hydrargyri muriatici per accessum hydrargyri puri mutatur in protoxydum hydrargyri muriatici.

§. 4.

Mercurius dulcis ex apparatu desumptus massam exhibet cristallinam, altero latere albidam, nitidam, altero ex albo quidquam flavescens, texturae radiatae, ponderis specifici = 7,176, quae in loco obscuro fracta lucem rubram spargit. — In pulverem tritus, colorem subflavescens induit, luci expositus subcinereum, odoris et saporis expers, nec aqua, nec spiritu vini, nec aethere solvitur, igni fortiori expositus avolat, alcalibus tentatus resolvitur, colorem induens nigricantem, protoxydum hydrargyri nigrum inde separans. —

§. 5.

Mercurius dulcis, cum saepius ex fabricis petatur, semper priusquam in medicamentum exhibetur, disquirendus est, an fors hydrargyro metallico vel ipso sublimato corrosivo contaminatus sit. Prius partim jam ex colore in cinereum vergente, partim vero eo dignoscitur, quod per superinfu-

sum acidum nitricum, gas nitrosum evolvatur. Ad detegendum sublimatum corrosivum sequens instituat experimentum: Hydrargyrum muriaticum mite in pulverem tritum cum sexduplo alcoholis caloris ope digeratur, quo corrosivus solvitur; quodsi dein alcohol defusum et aqua pura dilutum ab adfusa aqua calcis colorem flavum induit, eo ipso adhaerens indicat sublimatum corrosivum.

In genere non admittendus est mercurius dulcis, qui pulverem sistit cinereum, crassum, attactu asperum.

Credebant olim, mercurium dulcem per repetitam sublimationem posse purgari et inde etiam varia illi attribuerunt nomina; sic sexies sublimatus dicebatur Calomel; duodecies sublimatus Panaceaea mercurialis et sic porro. Cum vero per quamlibet sublimationem mercurii dulcis pars in hydrargyrum metallicum et sublimatum corrosivum decomponatur: jam intelligitur, per has operationes mercurium dulcem potius contaminari quam purificari. —

III.

Ratio ad organismum vivum pharmacodynamica generalis.

§. 6.

Calomeli, cum sit praeparatum mercuriale, in genere competunt vires mercurialium. Est tamen praeparatum, quod omnibus reliquis mercurialibus palmam eripit, et magnopere ab omnibus reliquis quoad peculiarem suam vim differt, et quidem

1mo. Quod vis stimulans quam maxime recedat in mercurio dulci, tam pro vita sensifera, quam pro vita irritabili.

2do. Quod vi, qua in vitam plasticam agit, reliqua mercurialia antecellat.

3to. Quod metamorphosim mercurialem citius ac reliqua inducat; hinc vero etiam salivationem in genere facilius producat.

4to. Quod ob vim suam stimulantem minorem, in vitam plasticam vero directam majorem, longe major morborum cohors, salutiferae ejus virtuti cedat, quam reliquis praeparat mercurialibus.

5to. Quod alvi fluxui magis ac reliqua faveat.

6to. Quod vim simul specificam in vermes intestinales exserat.

7mo. Quod tandem in externa illius applicatione, ob difficilem suam solutionem, reliquis mercurialibus multo inferior sit. —

§. 7.

Vis mercurii dulcis, pro varia, qua applicatur dosi, varia animadvertitur. Dosi minima, ad quartam, dimidiam grani partem vel ad granum unum per aliquod tempus interne assumptus, secretionem gastricam, entericam et hepaticam incitat, praecipue vero vi quasi specifica secretionem pancreaticam adauget; a vasis abdominalibus receptus, sanguini traditur, ubi plasticum illius indolem imminuit, humores spissiores, coagula morbosa solvit; ad reliqua organa inde delatus, materierum, cohaesione majore peccantium, resolutionem, resolutarum resorptionem, resorptarum secretionem et excretionem promovendo, tumores, infarctus et obstructions tollit; vi simul specifica in glandulas salivales peltilur, earum secretionem incitat, ptyalismum et singularem oris foetorem provocans. —

Illius applicatione dein ulterius adhuc continuata, metamorphosim mercurialem in maxima sua extensione cum horribilibus scorbuti symptomatibus adducit. —

Si vero mercurius dulcis ad grana plura, 5 — 6 — 10 pro singula dosi ingeritur, secretiones intestinales hepaticam et pancreaticam et ideo simul motum intestinorum peristalticum adeo intendit, ut largus oriatur alvi fluxus, rarius dein imo rarissime ptyalismum oris provocans.

Dosis illius adhuc adaucta, ad scrupulum, drachmam vel ultra, ventriculi et intestinorum inflammationem et alvi obstipationem inducit. —

§. 8.

Ex his igitur perspicitur, mercurii dulcis vim praecipuam in vitam organismi vegetativam dirigi, in qua *nisum plasticum deprimit, processum fluidisationis sollicitat, secretiones et excretiones expedit, et metamorphosim inducit singularem*. Est ideoque Calomel remedium *antiphlogisticum, solvens, purgans, anthelminthicum, antisiphiliticum*.

IV.

Ratio ad organismum vivum pharmacodynamica specialis.

§. 9.

Perspecta mercurii dulcis ad organismum vivum ratione pharmacodynamica generali, facile nunc casus speciales et morborum formae intelligentur, in quibus salutiferam ab illo actionem expectare licebit.

Adhibetur igitur calomel:

A. Qua remedium antiphlogisticum.

In diversis febrium speciebus:

In febribus inflammatoriis calomel exhiberi meretur, si cum exaltata sanguinis elaboratione, humores nimis spissi et nimis plastici secernuntur et ideo ob imminutas secretiones intestinales simul excretio alvina retinetur, ubi calo-

mel omnibus his indicationibus satisfacit: plasticitatem sanguinis imminuendo, secretiones incitando, alvi evacuationem promovendo. Hinc mercurius dulcis in febribus inflammatoriis infantum, in quibus momenta memorata tam frequenter obtinent, remedium desideratum. —

Multi medici remedium hoc magnis extollunt laudibus in febribus *inflammatorio-nervosis*, in *typho contagioso*, si in subjectis juvenilibus, robustis pulmonum vel hepatis inflammatio gravior simul adest. Sic cum bono effectu illud exhibuit *Chisholm* in febre typhoso maligno; *Maclarty* in simili morbo doses magnas exhibuit, et ipsemet effectus saluberrimos expertus est. *Jahn*, *Hufeland*, *Reil*, *Autenrieth*, *Wiedeman* illud in febribus nervosis malignis magnopere commendant. In febre flava magnopere laudatur, praecipue ob adfectionem hepatis ibidem simul praesentem.

Quod vero in casibus harum febrium, in quibus jam major virium decrementum, nisus in resolutionem putridam, in excretionem colliquativas adest, calomelis usus non nisi deleterius esse possit, per se liquet. Unde simul intelligitur, minime, quod nonnulli suadent, concedendum esse, in febre putrida, sic dictas sordes putridas, per magnas mercurii dulcis doses evacuare. —

In *febribus intermittentibus* quartanis diuturnis, in quibus cachexia pituitosa eminent, vel infarctus et obstructiones glandularum mesenterii, hepatis et lienis, alvi obstructio inveniuntur, calomel effectum praestat desideratum.

§. 10.

In inflammationibus.

Applicationem quam maxime extensam mercurius dulcis in inflammationibus invenit. — Jam ex longo tempore in

India orientali in hepatitide usurpatus fuit, donec anno 1746. a *Robert Hamilton* primo, qua egregium in inflammationibus remedium, in Europa inducebatur. —

Mercurium dulcem in inflammationibus remedium praebere, omni hinc inde indicationi satisfaciens, jam ex suis effectibus supra generatim expositis, liquet; sed inde nondum sequitur: illum in omnibus inflammationibus esse necessarium, et remedia antiphlogistica reliqua, venesectionem, sales refrigerantes etc. etc. inde reddi superflua; imo calomel potius praemissis his remediis vel in horum conjunctione, salutiferas suas effectus exserit.

§. 11.

a. *Inflammationes parenchymatosae* gradus altioris, in organis majori vasorum copia instructis, cum exaltata totius systematis vasorum actione: calomel solummodo post praemissas venesectiones exigunt; nam mercurius, ipsam sanguinis copiam imminuere, cujus hic indicatio est, non valet, sed tantummodo ejusdem elaborationem ulteriorem, majorem ejus plasticitatem retinere. Hinc in talibus inflammationibus locum habet, ubi fracta febris et inflammationis vi, ejus producta morbosa non solvuntur, resorptio per vasa lymphatica languet et excretiones criticae retinentur. Sic calomel egregium offert remedium in pneumoniis, ubi inflammationis vi sublata, sputa critica desiderantur, et ideo respiratio adhuc laboriosa, dolor pressivus, obtusus in pectore, residua adhuc inflammationis perstant; ex altera vero parte venesectiones ob virium decrementum timentur, et excretiones alvinae simul retinentur.

Nec desunt medici, qui mercurium dulcem in pneumoniis statim ab initio et venesectionibus neglectis, magnis

extollunt laudibus et quidem praecipue tunc, ubi venesectiones ob virium decrementum timentur, ubi character nervosus vel jam evolvitur, vel ex morbi indole veluti certus expectandus est, uti in inflammationibus sic dictis typhosis. Sic *Heber, Kreysig, Spangenberg, Jahn* in pneumonia et hepatitide, quae typho accedunt, magnopere laudant mercurium dulcem. Sed absit sub ejus usu nisus in putredinem, in excretionem colliquativas.

§. 12.

b. Inflammationes, quae nisu in exsudationes serosas et lymphaticas excellunt, absque calomele cum successu felici vix tentari possunt. Inter has primo loco nominari meretur *encephalitis* tam acuta quam cronica, tam adultorum quam etiam et praecipue infantum, in exsudationem, hydrophem ventriculorum cerebri adeo prona. Multiplici ratione calomel in hac inflammatione suam explet indicationem: sanguinis plasticitatem imminuendo, sicque novae formationi repugnando; secretionem intestinales, hepaticam et pancreaticam, et excretionem alvinas incitando, ideo humores ab encephalo derivando; systema gangliare in abdomine incitando, ideo vitam sensiferam in cerebro exsuperantem deprimendo. Hisce viribus instructus mercurius dulcis effectus suos salutiferos exserit in hocce morbo gravissimo, quod medici practici omnes confirmant, inter quos *Cheyne, Odier, Formey, Hufeland, Goelis*.

Similes praestat effectus in *ophthalmitide*, illarum praecipue oculi partium, quae in exsudationes lymphaticas magis pronae sunt; uti in *iritide* et *keratitide*. — Remedium, cui nec ullum aliud par censendum, praebet in *angina membranacea*, sic dicto Croup. Inflammatio haecce, in exsudationem lymphaticam pronissima, statim ab initio, in con-

junctione simul cum hirudinibus, calomele tentanda est; in hocce stadio jam doses minores sufficiunt, ad exsudationem praecavendam. Si vero exsudatio jam inceperit, a nullo alio remedio nisi a mercurio dulci adhuc effectus bonus expectandus est, qui coagula morbosa solvit, eorum per os evacuationem efficit, crasim simul per largam transpirationem cutaneam et alvi fluxum restituens.

Sed etiam in aliis anginae speciebus, ob exitus, quos minitant infaustos, adhiberi meretur; in *angina tonsillari* sive sit acuta sive cronica, vel jam in indurationem transgressa, in *tracheitide, bronchitide*. *Thoman* in ipsa phthisi tracheali bonum adhuc obtinuit effectum ex calomele. — Huc porro pertinet *pneumonitis* cum nisu in exsudationem serosam vel lymphaticam, quae praecipue in infantibus, in gravidis, in lactantibus timenda est. Tali in casu, ubi venesectiones hunc exitum potius invitarent, calomel omnes explet indicationes. Huc porro referenda est pneumonia sic dicta occulta ex una et phthisis florida ex altera parte, in quibus solummodo a calomele hinc inde adhuc effectum expectare licet sublevantem.

§. 13.

c. *Variae organorum abdominalium inflammationes* mercurium dulcem saepissime implorant, cum hic locorum vita vegetativa prae reliquo corpore viget. — Sic *Vogel, Reil, Richter, Hufeland, Peter Frank* optimum obtinuerunt effectum ex calomele in *hepatitide* acuta et cronica: in variis ejusdem sequelis: ictero, hepatis induratione, calculis felleis etc. etc. —

Convenit praeterea calomel *enteritidi*, ubi venesectionibus praemissis altior adhuc phlogoseos gradus perstat, secretiones hicce locorum silent et pertinax inde alvi obstructio

adest, vel inflammatio jam in formationes morbosas abire minatur.

Dysenteriae magis convenit in regionibus tropicis, cum ibidem plerumque cum hepatitide vel statu irritativo systematis venae portarum incedat. Sed ideo etiam in nostro climate hinc inde convenit, si dysenteria, tempore aestivo apparens, caractere bilioso jungitur; tali in casu calomelis effectum confirmant *Cleghorn, Lind, Wilson*.

In *inflammatione uteri et ovariorum*, quae praecipue post partum praegressum nisum manifestant in pseudo-organisationes, cum fructu adhibetur calomel.

In *orchitide*, quin sit originis syphiliticae, remedium praebet fere unicum, quod testiculi indurationem tam saepe succedentem praecavere valet.

§. 14.

d. In *morbis inflammatoriis cutaneis* in sic dictis exanthematibus jam ex longo tempore in usu est. *Boerhaave, Ingenhousz, Stoll* mercurium dulcem qua praeservativum contra *morbum variolosum* et in ipso etiam morbo erupto magnopere laudaverunt. Sed qua praeservativum illo nunc, vaccinatione inducta, non amplius indigemus. Ast in morbo varioloso ipso, si variolis, tardius vel irregulariter erumpentibus, congestiones, imo inflammationes organorum internorum, encephalitis, pneumonitis etc. accedunt; vel profundius penetrante inflammatione cutanea, symptomata nervosa accedunt, suam indicationem invenit calomel; deinde in stadio suppurationis et exsiccationis, processum suppurationis exsuperantem temperat, metastases periculosas praecavet et criticam intestinorum evacuationem inducit. —

In *scarlatina* hinc inde sub exordio, ubi tardius efflo-

rescente exanthemate magna aegri anxietas congestiones versus encephalon indicat, vel sub morbi exitu infausto, cum exsudatione serosa in cerebro vel in systemate cutaneo, auxilium non denegat imploratum calomel. Similem indicationem invenit in *morbillis*, si symptomata catheralia ad altiorrem evolvuntur gradum.

§. 15.

e. Cum vis calomelis praecipua, uti jam dictum, in vitam vegetativam, in systema lymphaticum et absorbens dirigatur: jam sequitur, illud in *inflammationibus systematis Lymphatici* praecipue glandularum lymphaticarum applicationem extensam invenire; hinc princeps remedium in variis formis morbi scrophulosi, quae plerumque cum lenta quadam inflammatione incedunt. Sic in morbo scrophuloso florido et lento, in intumescencia et induratione glandularum lymphaticarum, in tuberculis, in impetiginibus, ulceribus inveteratis scrophulosis, in crusta lactea remedium valde laudatum. —

§. 16.

f. Ad vitae vegetativae organa tandem etiam referuntur variae membranarum internarum species; consideremus igitur quid mercurius dulcis in *inflammationibus membranarum serosarum, fibrosarum, synovialium et mucosarum* praestet.

In inflammationibus acutis arachnoideae, pleurae, pericardii, peritonaei, calomel post praemissas venesectiones egregium praebet remedium, cum sub his inflammationibus nisus in exsudationes serosas manifeste praedominetur; hinc praecipue etiam in peritonitide puerperarum, in quo morbo conditiones adlatae certius et citius sese insinuant. — Ast non solum in topicis membranarum serosarum inflamma-

tionibus, sed etiam sub statu inflammatorio totius systematis serosi in febris sic dicta rheumatica, in rheumatismo acuto et cronico, suam invenit indicationem calomel, et a *Fothergill, Cullen, Lentin* magnopere laudatur. —

Ad membranas etiam fibrosas et synoviales effectus extenditur calomelis. Inflammatio tam acuta quam cronica harum membranarum — arthritis proteiformis — calomel qua princeps agnoscit remedium, cum hic locorum pseudoformationes tam lubenter ingruunt et plerumque simul hepatitis adfectio morbosa conjuncta incedat. —

Inflammationes membranarum mucosarum mercurium dulcem sibi expetunt, cum sub his ob facile accedentem characterem nervosum cum sanguinis detractionibus cauti esse debeamus, et nisus plasticus tam libenter luxuriat. Sed in inflammationibus chronicis etiam harum membranarum, in blenorhoeis, in catarrho protracto, in blenorhoea vesicae saepius cum effectu desiderato exhibetur. —

B. Qua remedium solvens.

§. 17.

Supra jam exposuimus, mercurium dulcem vires suas ad vasa capillaria, secernentia et resorbentia usque extendere, in quibus non adeo vis ejus stimulans quam potius solvens, in eorum contenta directa, manifesta fit. Hinc vis ejus explicatur in variis morborum chronicorum, cachexiarum formis. Huc imprimis referri merentur: infarctus, tumores, obstructions, indurationes viscerum abdominalium, systematis venae portarum, hepatitis, lienis, pancreatis, glandularum mesenterii et varii, qui inde iterum oriuntur, morbi: hypochondria, hysteria, melancholia, icterus, menstruorum anomaliae, morbus scrophulosus, hydropes etc. etc. — Scirrhus incipiens ventriculi aut uteri hinc inde calomele

adhuc devinci potest, praecipue si reactio adhuc inflammatoria illi subest. — In membranarum vesicae urinalis induratione et nata inde dysuria cronica *Peter Frank* illud commendat. — In impetiginibus inveteratis, in quibus processus plasticus luxuriat, secretio serosa abundat, quorum radices in diatesi scrophulosa vel syphilitica fundantur, calomel egregium sistit remedium; sic in scabie humida, luxuriante, in tinea capitis lymphatica, in herpete rodente, in plica polonica cum abundante exsudatione lymphatica; in ulceribus cutaneis, si adfectio adhuc inflammatoria subest, si humores secreti ad indolem magis plasticam accedunt, si originis sunt scrophulosae, arthriticae, syphiliticae, calomel hinc inde omnem indicationem explet.

C. Qua remedium purgans.

§. 18.

Jam in praegressis plures morborum formae memoratae sunt, in quibus calomel qua purgans remedium sistit derivans egregium. — In genere qua purgans pertinet ad purgantia refrigerantia fortiora et convenit in casibus, in quibus systematis sanguiferi incitatio evitanda, effectus simul in organa abdominis reproductiva intendendus et producta morbosa evacuanda sunt; in pertinaci alvi obstructione, in hernia intercepta, in ileo. Minime vero exemplum illorum sequendum, qui in omnibus casibus, in quibus purgantia indicantur, nullo alio uti sciunt remedio, quam mercurio dulci, ac si non haberentur remedia mitiora, effectum, in illis casibus necessarium, praestantia. —

D. Qua remedium anthelminthicum.

§. 19.

Vis calomelis vermibus inimica jam ex longo tempore nota et quod medici practici illam omnino concedunt, jam ex

eo intelligitur, quod in omnibus fere formulis compositis, ad vermes enecandos et expellendos a medicis confectis assumptum sit. — Triplicem vero praestat in hoc morbo effectum: vermes ipsos enecando, illos expellendo et eorum regenerationem, abnormem mucii secretionem corrigens, praecavendo.

§. 20.

Erant medici, qui mercurio dulci *singularem simul vim in systema nervosum* attribuerunt, quum multos systematis nervosi morbos, tam convulsivos quam paralyticos, illo sanatos fuisse viderunt. — Sed veritati magis consentanea videtur, quae recentiori tempore proposita fuit sententia: multis morbis nervosis statum subesse inflammatorium nevrilematis vel ipsius medullae nervosae vel vasorum terminos nervorum circumdantium, ideoque calomelis vi antiphlogisticae haecce cedere mala nervosa.

Inde explicantur laudes, quos mercurio dulci attribuerunt in tetano, trismo, catalepsi. In epilepsia, uti tot alia remedia, plerumque absque fructu tentatus fuit, illis fors casibus exceptis, in quibus illa radicata est in adfectionibus organorum abdominalium magis materialibus, in abundante bilis, mucii, vermium accumulatione. — Cum feliciori successu exhibetur in convulsionibus infantum, quibus tam saepe adfectio cerebri vel medullae spinalis inflammatoria subest. — Etiam in stadio nervoso pertussis, ubi tamen symptomata bronchitidis adhuc perstant, laudatur.

Calomelis usus diutius ad salivationem usque protractus simul in conjunctione cum unguento cinereo in variis malis nervosis acutis et chronicis, quae fors in adfectione quadam rheumatica aut arthritica ipsius systematis nervosi radi-

cantur, sanationem radicalem adduxisse dicitur, ubi remedia nervina nil nisi levamen momentaneum producere valuerunt. Sic secundum *Stark*, *Breiting* in dolore faciei, sic dicta prosopalgia, calomel cum sanatione radicali modo supra exposito exhibitum est. — In hydrophobia a multis laudatur, partim ad morbi eruptionem praecavendam, partim ad morbum eruptum tollendum; pro hoc asserto loquuntur: *Lieutaud*, *Tissot*, *Gioverardo Zeivani*. *Krutge*, medicus in Breslau, post applicatum emplastrum vesicatorium calomel interne exhibet et simul conjungit inunctionem cum unguento cinereo; post salivationem ingressam, calomel solum continuatur, ut salivatio sustineatur.

Tandem calomel laudatur quoque in morbis paralyticis; sed in hisce vix effectum praestabit desideratum, nisi orti sint ex adfectione quadam morbosa vitae vegetativae, ex diathesi scrophulosa, arthritica, syphilitica. — Secundum *Clut-terbek* et *Hildenbrand* cum desiderato effectu exhibitus est in paralyti, quae colicam saturninam excipiebat, et in ipsa etiam colica saturnina.

E. Qua remedium antisiphiliticum.

§. 21.

Morbo syphilitico calomel qua praeparatum mercuriale remedium opponit specificum. Licet sub omnibus hujus morbi formis cum fructu adhiberi possit; attamen istae potius pro illo seliguntur, quae decursum magis acutum observant, et quibus character inflammatorius simul subest, cum calomel remedium simul antiphlogisticum sistat. — Ble-norrhoea uretrae virilis, tunc tantummodo exposcit mercurium dulcem, si inflammatio intensa, ad collum vesicae et prostatam usque extensa est, si in cronicam vel ulcerosam

abit. In blenorhoea vaginae syphilitica calomele difficilius caremus, cum hic locorum periculum syphilidis secundariae multo major sit. — Praeterea in ulceribus syphiliticis modo natis, in intumescencia glandularum syphil. in bubonibus, induratione testicularum effectum praestat desideratum.

Etiam morbi syphilitici secundarii tunc praecipue mercurio dulci tentantur, si character illis inflammatorius subest; ulcera syphilitica faucium, ozaena, morbi cutanei syphil. — Etiam morbus syphil. inveteratus, qui jam per longius tempus praeparatis mercurialibus fortioribus tentatus fuit, hinc inde cedit substituto dein mercurio dulci. Morbo syphil. graviore, magnas devastationes brevi tempore minitanti, hinc inde magnis mercurii dulcis dosibus secundum *Weinhold* limites poni possunt.

§. 22.

Expositis nunc morbis, in quibus interne adhibetur calomel, adhuc quaedam *de usu illius externo* dicenda remanent, qui relate ad internum arctis circumscribitur limitibus. —

Vis caustica vix ulla animadvertitur et hinc ob indolem suam mitiorem in ulceribus partium valde sensilium, glandis, praeputii adhibitus est. — In unguenti formam redactum in ophthalmiis syphiliticis, in tophis adhibetur. — *Dr. Fischer* commendat in ophthalmiis inveteratis, in quibus torpor manifestus praedominatur, mercurium dulcem in pulveris forma, ita ut penicilli ope granum unum in oculo remaneat.

In inflammatione cronica narium qua sternutamentum cum successu felici applicatur. — *Hopp*, consiliarius in Hanau, clismata laudat ex calomele gummi arabici ope in aqua

suspensio, in convulsionibus, in haemorrhoidibus dolentibus, in ascaridibus.

Notandum tamen hic, nobis praesto esse praeparata mercurialia, quae pro usu externo mercurium dulcem omnino superfluum reddunt, effectum certiore et citiore praestantia.

V.

Dosis et forma, qua exhibetur.

§. 23.

Dosis, qua mercurius dulcis exhibetur, admodum variat, pro vario, in quo applicatur, morbo, et pro vario, cui exhibetur, individuo.

In morbis inflammatoriis rapide decurrentibus, in quibus cita requiritur nisus plastici moderatio, doses singulae majores, per breviora repetuntur temporis intervalla, ita ut granum semis, integrum omni bihorio repetatur, usque dum maxima morbi vis fracta fuerit.

In morbis vero tardius progredientibus, in quibus effectum desideramus solventem, resorptionem et secretionem variam expedientem, minores exhibentur doses, rarius reiterandae, ita ut $\frac{1}{4}$ vel $\frac{1}{2}$ grani pars pro dosi et vix ultra granum unum aut alterum de die consumatur. In hac dosi dein continuatur usque dum levissima ingruant salivationis vestigia, quibus moniti ab usu ulteriore pro tempore recedimus.

Si calomel ad alvum evacuantiam aut vermes expellendos exhibetur: pro singula dosi grana quatuor, sex aut plura concedimus, quin tamen haec dosis frequentius repetatur.

Ad morbum syphiliticum debellandum variae iterum proponuntur mercurium dulcem applicandi methodi. — Tutissima semper ea est, ut dosibus minoribus grano uno, duobus de die incipiamus, quam dein paullatim augemus ad grana tria, quinque, ita ut metamorphosis mercurialis quamvis non effrenis provocetur et per aliquod temporis spatium sustineatur.

Inter recentiores vero *Weinhold* sequentem proponit methodum: Prima curae die aegro ad vespertas ventriculo vacuo grana decem exhibentur mercurii dulcis, quibus superbibat potum mucosum; post semihoram eadem calomelis dosis repetitur, et in subjectis robustis, constitutionis firmae post semi horam adhucdum grana quinque porriguntur. Altero die mane aeger potu arabico assumpto aliquoties alvum foeculentam deponere dicitur: si vero haecce alvi evacuatio non sequitur, aegro exhibetur pulvis ex rad. Jalapp. et tartar. tartaris. aa. granis quindecim. Post duas dies quieti concessas aeger die quarta eandem calomelis dosim sub iisdem regulis iterum assumit. Die septima dosim assumit tertiam et sic porro usque ad dosim octavam, qua consumpta aeger a morbo liberatus esse dicitur. — Tota igitur cura absolvitur intra viginti tres dies, sub quorum decursu aeger ad minimum centum et sexaginta grana mercurii dulcis consumit. Post tertiam vel quartam dosim talis alvi obstipatio sese insinuare dicitur, ut cuilibet pulveri quinque vel sex grana rad. jalapp. addi debeant, ut una saltem alvi evacuatio obtineatur. — Victus sub hac cura conceditur carnosus, cum potulentis vinosis, parca tamen manu assumptis; hinc inde diebus intermediis porrigitur decoctum chinae. — Hanc curam heroicam

saluti aegri futurae non prospicere, quilibet facile perspiciet.

Peter Clare proponit, ut mercurius dulcis ad granum unum ad tria usque, in interna oris facie infricetur, ut organa abdominalia non molestantur et cito producat salivatio. — Sed clare elucet, hic ptyalismum non ex metamorphosi universali, sed ex locali solummodo glandularum salivalium irritatione inductum esse et ideo nec morbo tollendo sufficere posse.

Quocumque vero methodo exhibeatur colomel semper simul ad individuum, quoad dosim dispensandam, respiciendum est. — Subjecta constitutionis tenerae, debilioris, cum systemate nervoso mobiliore, cum organis digestivis debilitatis: parvas solummodo admittunt colomelis doses, dum econtra constitutiones firmæ, cum humorum plasticorum abundantia, magnas perferunt doses. — In organismo femineo effectus illius citius apparent, et dispositio ad haemorrhagias uteri, graviditas, magnam dosium cautelam dictant. — Organismus infantilis ad aetatem suam relatus, majores perfert doses absque incommodo, dum econtra in aetate senili parvae calomelis doses, evacuationes colliquativas facile inducant. — *Forma* consueta, qua calomel exhibetur, est illa pulveris; hinc inde etiam in pillulis vel in bolo praescribitur. In solutione exhiberi non potest, cum non solvatur, neque facile suspendi possit. — Usui externo etiam forma pulveris inservit, quae etiam butyri aut cerati ope in unguentum redigi potest, ita ut unciae uni butyri drachma una calomelis addatur.

VI.

Conjunctio cum aliis medicamentis.

Si calomelis vim desideramus immutatam, evitemus conjunctiones cum talibus remediis, quibus illud decomponitur. Huc pertinet conjunctio cum alcalibus puris et carbonicis, cum salibus sulfuricis et muriaticis, cum acido muriatico, sulfurico, nitrico, hydrocyanico, cum hepate sulfuris et cum saponibus. Tali in casu potius seligamus sacharum purum, sacharum lactis, pulverem liquiritiae, pulverem gummi arabici etc.

Pro vario vero scopo therapeutico calomelis vim nunc intendere, nunc debilitare cupimus, et hinc varias seligamus conjunctiones, pro vario, quem intendimus effectum.

Celebrata calomelis conjunctio est cum sulfure aurato antimonii, quo fit, ut effectus ejus magis dirigatur in pulmones et systema cutaneum; inde haec conjunctio, pulvis Plumeri, secundum inventorem dicta, egregium praebet remedium in pneumoniis protractis, ubi sputa critica desiderantur, in impetiginibus inveteratis etc. Similem effectum praestat conjunctio cum tartaro emetico. — In morbis cutaneis, rheumaticis, haemorrhoidalibus, sulfuris cum calomele conjunctio celebratur. In morbis, in quibus mercurium dulcem adhibemus, qua purgans, humores ab aliis partibus derivans, uti in hydrencephalo, in ophthalmiis illum jungimus cum aliis remediis purgantibus, cum rheo, senna, aloe, jalappa; in majore vero intestinorum torpore, in morbo verminoso, in melancholia, mania, in hydrope ascite, calomel optime jungitur cum remediis drasticis, helleboro, gratiola, gummigult. — In morbo

syphilitico optime simul externa hydrargyri applicatio in usum trahitur. — Sed non solum cum remediis antiphlogisticis et solventibus, sed cum roborantibus etiam, stimulantibus et narcoticis, in casibus nonnullis singularibus conjungitur. — Sic in febribus intermittentibus quartanis cum infarctibus, obstructione hepatis, calomel cum china omnem explet indicationem; eadem conjunctio secundum *Reil* in morbo varioloso cum suppuratione excedente bene convenit. — Mercurius dulcis cum Ipecacuanha egregium praebet remedium, in pertussi protracta, in astmate spastico et pituitoso. — In morbis inflammatoriis cum feбри in characterem nervosum tendente, vel eo jam evoluto, in rheumatismo cronico, optima conjunctio cum camphora. — In encephalite vel hepatite cum feбри typhode incedentibus, in angina membranacea, ubi symptomatibus inflammatoriis jam spastica sese associant: mercurius dulcis cum stimulantibus volatilibus moscho, castoreo, praeparatis ammoniacalibus, desideratum praestat effectum. — Celebrata est etiam digitalis cum calomele conjunctio in morbis inflammatoriis, praecipue in pneumonitide, pleuritide, peritonitide, imprimis puerperarum; dein in variis hydropis speciebus, in hydrencephalo cronico, in hydrothorace, in ascite; tandem in morbo scrophuloso. — Magnae extensionis est tandem opii cum calomele conjunctio, in casibus, in quibus salivatio et diarrhoea timenda, et opii vis, systema vasorum incitans, compescenda; in morbis igitur inflammatoriis, in quibus inflammationis quidem vis fracta est, sed symptomata nunc spastica perstant, uti in pneumonia, ubi inflammatione fracta, tussis sicca, spastica adhuc remanet; in inflammationibus cronico, in quibus sensibilitas adaucta

dolores continuos concitat, uti in arthritide et rheumatismo chronicis.

Cum usus calomelis externus rarus sit, ideo etiam non multae celebrantur conjunctiones. — *Swediauer* usus est sic dicta *Lotione hydrargyri nigra* seu *aqua phagadaenica miti*; conjunctione scilicet calomelis cum aqua calcis; in qua vero non amplius calomel, sed separatim inde oxydulum hydrargyri nigrum efficaciam suam exserit. — *Graefe* huic aquae simul addidit extractum hyosciami et sub nomine *aquae ophthalmicae nigrae* post blenorhoeas oculi intensas illam adhibuit. — *Dupuytren* in maculis corneae pulverem ex calomele, tutia et saccharo cando ad partes aequales commixtum, mane et vespere oculo inflari jubet.



Theses defendendae.

I.

Scientia medica eadem gaudet certitudine, ac reliquae scientiae humanae.

II.

In regno minerali non dantur individua.

III.

Ex chemica aquarum mineralium analysi earum effectus erui non possunt.

IV.

Anatomia pathologica medico practico plus pollicetur quam praestat.

V.

Per resolutionem nervorum et vasorum in parenchyma, vita organorum interna, modo, rationi multo magis consentaneo, explicari potest, quam per transitum arteriarum in venas.

VI.

Animi passiones systema gangliare pro sede agnoscunt.

VII.

Sanguinis a contagio immunitas demonstrari nequit.

VIII.

Pulsus valor diagnosticus non est tantus, quantus plerumque habetur, imo

IX.

pulsu qua momento diagnostico in multis morbis carere possumus.

X.

Remedia sic dicta domestica, quamvis saepe paradoxa, virtutis tamen interdum maximae.

XI.

Morbi psychici qualescumque semper materialem agnoscunt originem.

XII.

Phthisis pulmonalis semper manebit morbus insanabilis.

XIII.

Inflammatiō, sive normalis, sive anomala, semper est morbus.

XIV.

Chirurgiæ a medicina proprie sic dicta separatio plus mali quam boni causat.

XV.

In arte oculistica methodus derivans principem tenet locum.

XVI.

Ubi matri et foetui simul vitæ periculum imminet, illa, etsi cum hujus nece, est servanda.

XVII.

Medicina publica generi humano plus boni praestare potest quam quævis alia medicinae pars.

